

tanda necessaria sunt, ut ædificent cunctos, tam fidei scientia, quam operum disciplina", ut habemus ex aliquo concilio Toletano. "In hoc studio, ait auctor Præl. S. Sulpitii, convenit clericos versari: nam grave detrimentum patitur disciplina, si non sint in clero viri doctiores qui sacros canones didicerint. Ex ignorantia juris oritur confusio, labefactatur disciplina et multa prætermittuntur quæ aliter servata fuissent."

Leo XIII in litteris Encyclicis ad clerum Galliæ, 8 Sept. 1899, referens verba alicujus concilii provincialis Bituricensis, probat momentum Juris Canonici: "Theologicarum doctrinarum solidæ scientiæ conjungi debet sacrorum canonum cognitio, sine qua theologia erit imperfecta et quasi manca, necnon multi errores de Romani Pontificis, Episcoporum juribus, ac præsertim de potestate quam Ecclesia jure proprio exercuit, pro varietate temporum, forsitan serpent et paulatim invalescent."

CAPUT II

DE FONTIBUS JURIS CANONICI

7. Fons juris est auctoritas unde jura procedunt: unde tot sunt fontes juris quot auctoritates in Ecclesia; jamvero generatim quatuor distinguuntur legum ecclesiasticarum latores, scilicet Jesus Christus, Apostoli, Romani Pontifices et Episcopi Ordinarii locorum. Quæ Jesus Christus docuit et præcipit, quæ Apostoli tradiderunt, continentur in Scriptura Sacra et in Traditione; quæ vero a summis pontificibus aut a conciliis œcumenicis sancita fuerunt, continentur in constitutionibus summorum pontificum et in canonibus conciliorum. Hinc fontes juris canonici, latiori sensu, sunt: Sacra Scriptura, Traditio, jus ab Apostolis sancitum, decreta sum-